Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36491
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

sua sint amittere videlicet res cum mundo transeuntes
quasi districto iudici posituri rationes timent. ac sic pla
catum inveniant cui desideratis rebus, id est rationabilibus
perditis insensibilia et inquesita conservant. Possidere in
hoc mundo aliquid volumus? et ecce veritas clamat; nisi
quis renuntiaverit omnibus quae possidet non potest meus esse discipulus.

xx.ii. Quod perfectus christianus terrenas res iurgando non debet defendere.

Perfectus ergo christianus quomodo debet res terrenas iurgando defen
dere, qui non percipit possidere. Itaque cum res proprias amittimus,
si perfecte deum sequimur in huius vitae itinere a magno one
re levigati sumus. Cum vero curam rerum eidem nobis itineris
necessitas inponit. quidam dum eas rapiunt solummodo to
lerandi sunt. quidam vero servata caritate prohibendi. non tamen
sola cura ne nostra subtrahant. sed ne rapientes non sua se
metipsos perdant. Plus quippe ipsis raptoribus debemus me
tuere, quam rebus irrationabilibus defendendis inhiare.
Illas namque etiam non raptas morientes amittimus. cum illis
vero et nunc conditionis ordine. et si corrigi studeant post per
ceptionem muneris unum sumus. Quis autem nesciat quia minus
ea quibus utimur. et plus debemus amare quod sumus. Si igitur
et pro sua utilitate raptoribus loquimur, iam non solum nobis
quae temporalia sunt, sed ipsis etiam quae sunt aeterna vendicamus. Qua
in re illud est sollerter intuendum. ne per necessitatis metum
cupiditas surrepat rerum, et zelo succensa, prohibitionis
impetu immoderationis distensa usque ad odiosae
turpitudinem contentionis erupat, dumque pro terrena re
pax a corde cum proximo scinditur. liquido appareat quia
plus res quam proximum amat. Si enim caritatis viscera
etiam circa raptorem proximum non habemus, nosmetipsos
peius ipso raptore persequimur. graviusque nos quam
alter potuit devastamus, quia dilectionis bonum